***Cosmae Pragensis Chronica Boemorum*. MGH, Scriptores, Nova series II. Ed. B. Bretholz (unter Mitarbeit von W. Weinberger). Berlin: Weidmannsche Buchhandlung, 1923.**

Capitulum V.

Postera die, ut iussum fuerat, sine mora convocant cetum, congregant populum; conveniunt simul omnes in unum, femina residens in sublimi solio concionatur ad agrestes viros: O plebs miseranda nimis, que libera vivere nescit, et quam nemo bonus nisi cum vita amittit, illam vos non inviti libertatem fugitis et insuete servituti colla sponte submittitis. Heu tarde frustra vos penitebit, sicut ranas penituit, cum ydrus, quem sibi fecerant regem, eas necare cepit. Aut si nescitis, que sint iura ducis,

temptabo vobis ea verbis dicere paucis.

Inprimis facile est ducem ponere, sed difficile est positum deponere; nam qui modo est sub vestra potestate, utrum eum constituatis ducem an non, postquam vero constitutus fuerit, vos et omnia vestra erunt eius in potestate. Huius in conspectu vestra febricitabunt genua, et muta sicco palato adherebit lingua. Ad cuius vocem pre nimio pavore vix respondebitis: "Ita domine, ita domine", cum ipse solo suo nutu sine vestro preiudicio hunc dampnabit et hunc obtruncabit, istum in carcerem mitti, illum precipiet in patibulo suspendi. Vos ipsos et ex vobis, quos sibi libet, alios servos, alios rusticos, alios tributarios, alios exactores, alios tortores, alios precones, alios cocos seu pistores aut molendinarios faciet. Constituet etiam sibi tribunos, centuriones, villicos, cultores vinearum simul et agrorum, messores segetum, fabros armorum, sutores pellium diversarum et coriorum. Filios vestros et filias in obsequiis suis ponet; de bubus etiam et equis sive equabus seu peccoribus vestris optima queque ad suum placitum tollet. Omnia vestra, que sunt potiora in villis, in campis, in agris, in pratis, in vineis, auferet et in usus suos rediget. Quid multis moror? Aut ad quid hec, quasi vos ut terream, loquor? Si persistitis in incepto et non fallitis voto, iam vobis et nomen ducis et locum ubi est indicabo. Ad hec vulgus ignobile confuso exultat clamore; omnes uno ore ducem sibi poscunt dari. Quibus illa: En, inquit, en ultra illos montes - et monstravit digito montes - est fluvius non adeo magnus nomine Belina, cuius super ripam dinoscitur esse villa, nomine Ztadici. Huius in territorio est novale unum in longitudine et in latitudine XII passuum, quod mirum in modum, cum sit inter tot agros in medio positum, ad nullum tamen pertinet agrum. Ibi dux vester duobus variis bubus arat; unus bos precinctus est albedine et albo capite, alter a fronte post tergum albus et pedes posteriores habens albos. Nunc, si vobis placet, meum accipite thalitarium et clamidem ac mutatoria duce digna et pergite ac mandata populi atque mea referte viro et adducite vobis ducem et mihi maritum. Viro nomen est Primizl, qui super colla et capita vestra iura excogitabit plura; nam hoc nomen latine sonat premeditans vel superexcogitans. Huius proles postera hac in omni terra in eternum regnabit et ultra.